



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Censibus. Consilium CCCCCV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

vestigal seu reditum super omnibus vel certis bonis, in quorum possessione manens tu venditor (uti etiam in casu proposito evenit) eo addito, quod liceat illum redimere restituto pretio, si post lapsum triginta annorum nolis solvere reditum, illumque propterea petam, poteris mihi offerre & reddere sortem, ut liberetis à reditu: est enim jus istud offerendi sequela exceptionis, & perpetuum, Bart. in l. signori De usucap. Neque quicquam facit quod Tiraquellus loquatur de venditione, cui adjecta est pactio facultatis quodcumque redimendi: nam diximus eam semper inesse, etiam si non adijciatur, quando minore sorte emitur reditus, quam ex juris constitutione irredimibilis emeretur; * sic ut expressum & taciti par sit vis, l. cum quid si ceter. perat. & expressum, quod ipso jure inest, plerumque non plus operetur, l. 3. de legat. 1. Et sic cum contrarium pactum, ne liceat post tempus redimere, velut inutile, ac juri & substantiæ rei repugnans rejiciatur, ut jam dictum est, perpetua quoque debet in proposito casu esse offerendi & luendi potestas, Molin. de contract. usur. quest. 10. nu. 202. & 204. & quest. 17. nu. 195. Chassan. ad consuet. Burgund. tit. des rentes vendues à rachep. §. 1. nu. 22. Covar. loco supra citato allegans adhuc alios. * In quam sententiam nunc crebriore & certiore opinione itum est; propter odium hujusmodi redituum & onerum, ac favorem redemptionis atque liberationis, l. Arrianus de oblig. & act. quia res facile redit ad suam naturam & ad sui principium, l. si unus §. pactus ne poteres De pact.

Proinde non obstat ratio, quæ in contrarium tendere videtur, quod in contractu emptionis & venditionis arbitraria sit ea redimendi seu retrovendendi pactio; hoc est ex conventionem partium, cogitare oportet, l. 2. Cod. de pact. inter empt. vend. dependens: * nam id tantum obtinet in abalienationibus aliarum rerum, quæ commercij causâ odium nullum continent, & in quibus licet se invicem in pretio circumvenire, l. item si pretio §. fin. De Locati. l. si voluntate Cod. de rescin. vend. in quibus plerumque res tanti valet, quanti emptorem inveniri potest, l. si servus 2. & ibi Bart. nu. 7. De contr. furt. & quarum precium incertum est, modò crescens, modò decrescens, l. Pretia rerum ad leg. Falcid. At in his reditibus, qui non proprie abalienationem, sed servitutem & onus perpetuum venditori insciunt, non idem est favor, non eadem

10 **11** **12** **juris ratio.** * Redituum enim certa & uniformis semper, & numerorum, est æstimatio; neque tempore reditus crescit aut decrescit, l. Nummis De in lit. int. & ex juris constitutione, non partium conventionem, est quod redimi possit, qui minori pretio, quam quo irredimibilis comparari potest, constituitur. * Unde rectè dixit Molinæus, d. quest. 19. in fine, pactum huiusmodi excludens perpetuam redimendi facultatem, non obstat; quia errorem juris continet, & nullam renuntiationem juris redimendi inducit: quasi scilicet debitor ignoraverit, perpetuum id sibi competere posse, l. m. a. ter De miss. testam. Sic quod in proposito casu factis sit constare de origine & veritate; hoc est quod reditus hic pecuniâ sit constitutus, & pro ea sorte, quâ perpetui irredimibiles reditus constitui aut comparari non possunt; quodque perpetua & li-

Conf. Wamel. Tom. II.

bera redimendi facultas sit de iusticia horum redituum, & quod juri offerendi, si juri exceptionis vel retentionis conjunctum sit, nullo tempore præscribatur, Molin. d. quest. 17. nu. 195.

De Censibus.

SUMMARIUM.

Reditus annui Ecclesiastici luitio.
CONSILIVM CCCCIII.
Est supra conf. CXV. Ideoque hic omittum.

De Censibus.

SUMMARIUM.

Reditus Ecclesiastici luitio.

1. Solutionis reditus continuatio urgeri potest.
2. Solutione sortis sistitur cursus reditus.
3. Servitutis remissio species est alienationis.
4. Reditus annui inter immobilia computantur.
5. Reditus Ecclesiæ veluti perpetui censentur.
6. Qualitas allegata semper probari debet.
7. Redemptionis causa cessante cessat redemptio.
8. Solvi aliud pro alio non potest invito creditori.
9. Successio nulla est in beneficiis.
10. Successor in beneficio alienata per prædecessorem revocare potest.

CONSILIVM CCCCIV.

CONFUSE satis per prius consultos scriptum est in causa, quæ super redemptione reditus duorum modiorum speltæ inter Receptorem elemosynæ de Bevaux in Ecclesia Sancti Pauli Leodij Actorem, nunc Appellatum; contra quondam Godefridum de Lacu, & nunc eo mortuo contra Magistrum Joannem Inquium utriusque juris Licentiatum modernum maritum domicellæ Joannæ Becx, relicte præfati Godefridi controvertitur; ut nostrâ opera sine detrimento carere possit eadem causa. * Ut tamen bene inventa illustrentur, & causæ ac victoriæ partis appellatæ majora adminicula subministrantur, & æquitas duarum priorum in hac causa latarum sententiarum demonstretur, pauca adijciemus; nihil dubitantes de prima partis agentis intentione; hoc est quod reditus duorum modiorum speltæ, prætaxe elemosynæ fuerit debitus; nusquam enim id negat pars Rea, sed aperte confitetur: sic ut, nisi de extinctione ejusdem reditus constet, ad petitam continuationem solutionis dicti annui reditus, itemque cessarum pensionum seu canonum solutionem condemnari debeat, l. cum de in rem verso De usur. Pet. Jacobi in forma libelli super pensionem, Cassrens. consil. 51. In causa speltabilium vol. 2. & gid. de Bellamera consil. 21. Vtrum possessor. Videamus ergo, quid in causa sit, cur pars Rea tam animose se petitioni Actoris obijciat: id enim si non est omnino concludens & necessarium, temeritatis magis quam consilij ac judicij erit.

Et sanè unicum tantum est, quo pars Rea secuetur; nimirum quod proponat dictos duos modios speltæ redemptos & dequitos esse: sic ut solutione, vel etiam ob signatione sortis, usurarum seu redituum cursus ex tempore dequitationis cesset, l. Debitor de usur. l. Ob signatione C. De solut. l. si creditur C. De usur. & hypotheca dissolvatur, l. In omnibus De solut. Cæterum quamvis apud acta

extare videatur huius dequitationis ex registris Scabinorum Leodiensium extractum documentum; nihil tamen inde constitui potest, quod Actoris intentionem perimat. * Nam cum hæc dequitationis seu redemptio speciem emptionis seu acquisitionis in dequitante, & venditionis seu alienationis in dequitationem admittente contineat (nam alienare videtur qui servientem remittit pacto, l. 3. in fine *Qua in fraud. credit.*) non est permittenda in reditu ad Ecclesiam spectante, c. *Ve super de reb. Eccles. non alienan.* cum generaliter nullæ res Ecclesiæ immobiles alienari possint sine solemnitate juris, can. *Sine exceptione* xxi. *quæst.* 2. *Clem. 1. de reb. Ecclesie non alien.* quam certum est in dicta dequitatione non intervenisse. * Inter immobilia enim reputantur redditus annui, *Clem. Exvi §. cum que annui de verb. signific. Tirag. de retract. §. 1. Gloss. 6. in verb. rentes nu. 2. & seq. car. Molin. de contract. usur. quæst. 37.* præsertim qui hypothecam habent: & omnium maximè, qui irredimibiles sunt, pecuniâ ab initio non comparati, sed vel donati, vel testamento relicti, *Molin. de contract. usur. quæst. 20. nu. 213.* * Ut enim plerumque temporale est, quod annuum seu in singulos annos privata personæ legatur, & usufructui relicto comparatur, l. *Si in singulos de annuis legatis*: ita perpetuum est, quod vel templo, vel templi ministris, aut alij universitati seu corpori annuum relinquitur, l. *Annua §. fin. l. cum quidam, l. penult. de annuis leg.* Sic ut ex consideratione & applicatione registorum per Actorem exhibitorum, & per partem Ream recognitorum, de perpetuitate ac irredimibilitate ejusdem redditus nihil sit dubitandum. Quemadmodum nec pars Rea dubitavit; nec in eo redemptionis seu dequitationis fundamentum constituit: sed ingenuè confessa est, redditum hunc esse perpetuum, & hæreditarium; ex privilegio civitati Leodiensi concessio per Carolum Quintum Imperatorem; sic ut quoad redemptionem confiteatur aperte sibi obitare jus commune.

Reliquum igitur est ut inquiremus, num ad hunc redditum pertingat dictum privilegium; omisâ questione illâ, An laicorum Principum constitutiones & privilegia, corporibus Ecclesiasticis præjudicium aliquod afferre possint, si ve quoad acquisitionem bonorum temporalium, si ve involuntariam acquisitionum bonorum alienationem, & extra manus positionem, c. *fin. de immunit. Ecclesie lib. 6. vide Molin. ad consuet. varissen. §. 41. nu. 94.* Et sanè quia privilegium prædictum sine discrimine non admittit reddituum, quibus ædificia seu aræ onerata sunt, redemptionem seu dequitationem; sed tam in causâ, quam formâ distinctionem & diversas qualitates constituit ac requirit; nihil verendum est, ne Actori obstat hæc præsentia dequatio, si per dicta privilegia atque ordinationem requisitæ qualitates non concurrant, & per partem ream non allegentur ac probentur. * Quoties enim ex statuto, constitutione, aut privilegio qualificato, vel actio vel exceptio fundatur, oportet diligentissimè omnes requisitas qualitates specificare, & specificatas seu deductas probare; alioqui obtinendi nulla est spes, *Ioan. Andree in c. 1. per illum text. de homicid. lib. 6. Bart. in l.*

1. §. *quod autem Ne quid in flu. pub. Bald. in l. Edita c. De eden. Molin. in tract. contract. usur. quæst. 41. nu. 312. Alex. consil. 214. vol. 2. & consil. 24. nu. 1. vol. 2. Decius consil. 268. in princ. vol. 1.* Unde etiam eleganter admonet Baldus, in l. *Si quis nu. 3. c. De Episc. & Cler. Advocatos, ut, dum formant articulos, subserviant verbis legis vel statuti, & ijs probationes accommodent: quod in privilegijs, quæ juri communi repugnant, & strictam interpretationem, quatenus alterius commodum & damnum respiciunt, tantum admittunt, l. *Rescripta c. De precib. Imp. offeren. Bart. in l. 1. c. De legib. Ant. de Butrio in c. Sane De privil. Decius consil. 516. nu. 27.* maximè dicendum est. Iam verò ex dicto privilegio constat, neque simpliciter, neque passim, neque uno modo permitti esse dequitationem reddituum, quibus in civitate Leodiensi ædificia seu aræ onerata sunt: nam & ædificiorum ac reddituum distinctio adhibetur. Ædificiorum quidem, an ruinosa, ac caduca sint, ac notabili reparatione egeant; an verò integra & perfecta sint. Et inter redditus, an sint novi ac recentes; an verò amortizati, seu ultra hominum memoriam ad usum alicujus piæ foundationis destinati. Equidem redditus constituti super integris perfectisque ædificijs, item amortizati, & ultra hominum memoriam ad pium usum destinati (qualis est redditus controversus) etiam super ruinosis, ac reparatione egentibus, redemptioni seu dequitationi non subiiciuntur; sed tantum commutationi; assignato scilicet alio redditu æquivalente, ac ejusdem conditionis intra tertium lapidem, seu miliare à civitate Leodiensi. Et redemptioni tantum obnoxij sunt, non amortizati, super ruinosis ædificijs constituti; neque id tamen indistinctè, sed ita si redimere voles, reparare aut ædificare velit: ita enim habent verba privilegij: *Licet unicuique ad finem præscriptum.* Sic ut redemptionis potestas, ex causa, forma, ac fine omnino sit restricta, extra has causas conditio dictorum reddituum in terminis juris communis relinquatur; & redemptioni non sint obnoxij, nisi ex causa evidenter utilitatis, vel necessitatis, d. *can. Sine exceptione.**

Quare cum pars Rea proponat esse dequitationem redditum controversum pecuniâ; aureis scilicet viginti, neque alleget, aut probet domum suam vel caducam vel ruinosam esse, aut aliquâ reparatione egere, vel etiam brevi aliquo tempore ante dequitationem eguisse; necessariò deficiente causâ redemptionis, redemptioni nullus est locus: ut cessante causâ legis, vel privilegij, atque liberationis, cessat ipsa lex, privilegium, ac liberatio, l. *Tertia Scio §. usuras De leg. 2. l. Adigere §. quamvis De iure patroni latè Tirag. in tract. cessante causâ. cessat esset, nu. 174.* præsertim cum pro parte Actoris parti Reæ expressè etiam obiectus sit huiusmodi qualitatum defectus. Et cessante eo defectu, si scilicet probati potuisset, dictam domum ruinosam, aut magnâ reparatione egentem esse vel fuisse, relinquitur aliud obstaculum ex conditione huius redditus; quia scilicet ultra hominum memoriam ad pium usum destinatus fuit; uti superius diximus constare ex registris Actoris, quibus in iudicio stari confessa est pars Rea. Et præterea in non amortizatis redditibus requirit dictum privilegium su-

turam, & instantem restitutionem; ob quam constat hanc dequitationem non esse factam. Nam allegat pars Rea, quod reparatio per se facta sit ante annos tredecim, vel quatuordecim: sic ut non constat hanc dequitationem factam esse ob futuram restitutionem.

8 Peccavit itaque pars Rea in materia, ac forma, quod redditum non pecuniâ, sed commutatione ac substitutione alterius æquivalentis redditus dequitabilem, pecuniâ dequitare conata sit; sic ut vitiosè dequitando, nihil egisse videatur, l. *Quoties qui satisd. cog.* & nullam liberationem consequi potuerit: aliud enim pro alio invito creditore solvi nequit, l. 2. §. 1. *Cod. Si iter. per.* neque creditor invitus in alia forma, quam vel convenit, vel rei, de qua agitur, conditio postulat, solutionem admittere cogendus est, l. *Paulus de solut.* Quare etiam pars Rea optimè probasset, dictam pecuniam fuisse numeratam Servatio W. aut Henrico M. Actoris in prædicta receptoria prædecessori; quia tamen ea dequitatio ex causis privilegio permissis facta non est; neque etiam ex causa evidentis utilitatis aut necessitatis; neque denique adhibitis juris solemnitatibus, Actor, dicti Henrici in dicta receptoria successori, obesse non debet, *latè Molin. d. quest. 41. nu. 314.* sed dequitanti tantum, qui temerè ad redemptionem rei Ecclesiasticæ non redimibilis inhiavit, parvâ datâ pecuniâ, quæ perpetuitati redditus nullâ ratione respondet ac commensuratur. Sic ut ei, non Actori aut ejus successoribus, hujusmodi pecunia, salvo manente redditu, perierit, c. *Nulli de reb. Eccles. non alien. l. Lubemus §. sanè Cod. de sacrosanct. Eccles.*

9 * In beneficiis enim, ut nulla est successio, quæ jure hereditario censeatur, c. 1. *De præbend. & ibi Gloss. in verb. iure consanguinitatis in fine, c. Ex transmissa in fine de filijs presby. ita quoque in receptoria successor defuncti factum præstare non tenetur, aut ex ejus contractu aliquid damnum pati, c. ad*

10 *hac de decim.* * sed successori libera est potestas revocandi, & vindicandi quæcumque per prædecessorem malè, & contra formam juris sunt alienata, c. *Episcopi & ibi p. anor. nu. 1. De reb. Eccles. non alien.* unâ cum pensionibus, seu accessionibus medij temporis, d. *sanè in fine.* His igitur rationibus, ipsæque, quæ per consultos circa alios articulos in hanc causam incidentes, & quæ latiore discussione non indigent, eleganter deducta sunt, attentis, existimamus partes Venerabilis Domini Decani esse, ut priores duas sententias secundum partem agentem latus, confirmet; & partem Ream nunc appellantem in omnibus expensis condemnent.

De Censibus.

S V M M A R I U M.

Reditus annuus an sit redimibilis.

1. Consignatio sine oblatione regulariter nihil operatur.
2. Consignatio vitiosa nulla est.
3. 8. Reditus annuus an censetur in dubio redimibilis.
4. Veritas scripturæ vincit.
5. Argumentum à solitis frequens.
6. Venditio ad omnes contractus referri potest.
7. Reditus ex titulo, & conformitate solutionis censetur perpetuum.

CONSILIVM CCCCXVI.

V T nova, & veteribus propè incognita est questio, num redditus annui, tam frumentarij quam pecuniarij, naturâ suâ sint redimibiles, dum in eorum constitutione, ad exemplum pacti de retrovendendo,

non reservatur, seu excipitur redimendi & dequitandi facultas: ita quoque satis difficilis est, & in qua dissidentium Doctorum opiniones inveniuntur. Quæ res efficit, ut quotidie multis & præcipuè Ecclesiasticis Collegijs lites excitentur per debitores hujusmodi reddituum, quos vel mortentium, vel donantium pietas Ecclesijs, pijsque locis paulatim adjecit; plerisque ad exonerationem hujusmodi præstationis ac servitutis contententibus. Quod usu quoque nunc evenit Ecclesiæ L. per litem, quam Domicellus Contardus S. coram Scabinis Oppidi L. instituit, adversus Dominum Sebastianum B. Rectorem Capellaniæ S. Spiritus in dicta collegiata Ecclesia L. per speciem negatoriarum (ut asserit) actionis; contendens per nantizationem, seu depositionem sexaginta quatuor florenorum, extinctam esse obligationem annui redditus unius sextarii siliginis, quo fundi per Actorem comparati dictæ Capellaniæ ab anno 1413. obligati fuerunt. In qua lite tandem post longam disceptationem, secundum Actorem, permissa dequitatione, seu redemptione dicti redditus, judicatum; sed tamen ab ea sententia ad Cancellariam Brabantiam per viam reformationis provocatum est. Consulti itaque quid de causa provocationis sentiamus; excussis causæ meritis, quid nobis videatur aperiemus, & quidem paucis: nam longioris disputationis, atque investigationis ansam præripuit Dominus Advocatus suus, quam in primâ instantiâ impendit, diligentia, quâ in scripturis responsionis ac duplicis allegationum circa hunc articulum silvam congestit.

Ex principio quidem, omisâ disputatione de iudicij primæ instantiæ competentia, eoque articulo, num hic negatoria actione agatur, ut Actor contendit; num purgatorio iudicio, l. *Dissimari c. de ingen. manus. ff.* quod Rei asserunt, propter expressum consensum ac purgationem Reorum extantem in actis: illud rectius in primo ingressu urgeri potest, quod in discussione prioris instantiæ involutè tantum, & non aperte objectum est, Actorem hujus causæ incepisse à consignatione pecuniæ, nullâ præfata Domino Sebastianiano, aut ejus superioribus prius factâ sortis depositæ, & consignatæ debitæ ac legitimæ oblatione, secundum dispositionem juris, quâ constitutum est, in l. *Si creditor, l. Acceptorum C. de usur. antè offerendum esse creditori, quàm ad depositionem seu consignationem iri possit: ita ut si debitor nulla creditoris, aut eorum, ad quos res spectat, interpellatione, vel inquisitione præmissâ, etiam testato, aut etiam iudice adito (uti hic evenisse videtur) redimere offerat, etiamli sortem cum reliquis consignet, non profit: quia consignatio non valet, nisi præcedente debiti oblatione ei factâ, cui debetur, l. 2. & ibi *Salicer. 1. notab. C. de usur. ang. in d. l. Acceptorum in fine & ibi Paulus de Castro. Molin. de contrah. usur. quest. 48. nu. 310. in fine.* * Quæ juris constitutione,*